

sumpsit, ita vobis intimare disposui, quid melius sit vestræ relinquens rationi. « Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur » (*Gen. iv, 15*), videlicet in septima generatione. Septem enim generationes a Cain usque Lamech qui occidit eum, fuerunt, qui in septima generatione mortuus est. Sunt et quidam qui hoc active legere volunt, dicentes: *Septimum* [f. *septuplum*] punietur, quia aut pro septem suis peccatis aliquis occisurus erat Cain, aut in septima generatione, ut dictum est. Est et alia sententia. Dixit enim Cain ad Dominum: « Omnis qui invenerit me, occidet me » (*ibid.*, 14). Cui Dominus: non sic; id est, non tam cito vitam finies, nec tam subito pœnas quas meruisti evades; sed omnis qui te invenerit, sciet quod Cain qui occiderit, scilicet, qui fratricidium fecerit, qui tale ac tantum facinus peregerit, septuplum punietur, id est, per septem generationes pœnas patietur. Posuitque Dominus in Cain signum, ne occideretur; vixit enim usque in septimam generationem. Tunc a Lamech, ut dictum est, interfectus est. Potest quoque et alio modo intelligi; quod Cain scilicet, et in anima et in corpore pœnas esset passurus; per tria namque anima, per quatuor vero corpus, sicuti alibi bene designatur. Est et adhuc alia. Cain septem dicitur peregrisse peccata: Primum, quod non recte divisit; secundum, quod fratri inviderit; tertium, quod dolose egerit, dicens: Transeamus in campum (*ibid.*, 8); quartum, quod interfecerit; quintum, quod procaciter negaverit, dicens: « Nunquid custos fratris mei sum » (*ibid.*, 9); sextum, quod seipsum damnaverit dum dixit: « Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear » (*ibid.*, 13); septimum, quod nec damnatus, non egerit pœnitentiam. Unde recte dictum est: *Septuplum punietur*, quasi pro unoquoque peccato pœnam luiturus. Septem enim pœnas, dum vixit, solvit. Prima, fuit maledictio in eum super

terram; secunda, quod terra ei operanti non reddidit fructus suos; tertia, quia vagus; quarta, quia profugus; quinta, absconsio a facie Domini; sexta, quia in luctu; septima, quia in timore fuit. Hæc vobis summatim scripsi. gravisurussi quid tibi placuerit. Vale.

†

## EPISTOLA XXXVIII.

(Ex *Anecdol.* Muratorii tom. III, p. 216.)*Amico cui commendaverat Hildebertus et Stephanum et Radulphum Ecclesiæ Turon. decanum.*

Salutem et obsequiorum devotionem.

Novit dilectio vestra Stephanum decessisse cum quo Q. V. Radulphus, noster quidam filius, vester autem decanus, in apostolica acturus erat audientia, apud vestram pro eo interpellamus discretionem, quatenus pro eo impetretis, ne pro caussa, qua Romam iturus erat, necesse sit eum ulterius fatigari (50).

†

## EPISTOLA XXXIX.

(Ex *Anecdol.* Muratorii tom. III, p. 219.)*Ad ignotum quemdam de beneficiorum fidei et grata recordatione.*

Salutem, et ætatem pariter, et consilio superare.

Eos, qui obsequiorum sunt immemores, bruta etiam accusant, quæ benefactores suos et devotius sequi manifestum est, et velut in gratiarum actione eis assistere et blandiri. Quæ profecto te imitari, Domino Deo gratias ago, cujus consilio providisti ne beneficia vel obsequia ejus apud te irremunerata remanerent. Quod ego et laudo, et tibi gratias ago fidem in eo gerens, quod in futurum et majora providebis. De quo quid ipse plenius tibi indicabit, utpote qui preces meas, et consilium ad illos vidit in litteris meis, et legit, et intellexit.

## DIPLOMATA

## A VENERABILI HILDEBERTO CONCESSA.

I

(Ex Tabulario S. Albini Andegavensis, an. 1038.)

**200** \* *In gratiam monasterii Sancti Albini Andegavensis pro Ecclesia Sancti Audoeni prope Cenomanos.*

HILDEBERTUS sanctæ Cenomanensis Ecclesiæ devotus sacerdos, dilectis fratribus Girardo abbati Sancti Albini et universæ congregationi sub ejus cura Christo Domino famulanti, salutem et pacem.

Quoniam ipsius veritatis voce proximum omnem

Hildebertinam. Quem autem designet littera R. initio præfixa, non alium esse putamus quam Radulphum Dunelmensem episcopum, ad quem epistola I lib. III, qui forte, cum Hildebertus illi scribebat hanc epistolam, nondum erat episcopus; quam di-

D tanquam nos ipsos diligere præcipimur, pia vestræ dilectionis petitiones charitative suscipimus affectu. Cum enim alio anno miles quidam, nomine Fulcoius de Mortereis, conversationis vestræ propositum eligeret, addidit etiam dare vobis ecclesiam Sancti Audoeni, quæ mœnibus pene contigua est Cenomanicis, quam ipse et præcessores ejus innumeris annis hæreditario jure possederant. Qua in re cum pro ipso religionis incremento omnibus congratulandum sit fidelibus, exoratis tamen nos et suppli-

gnitatem non est assecutus, nisi anno 1099. Unde hic vocat eum simpliciter magistrum. Vide notas ad epistolam I libri III.

(50) Vide notam epist. 59 lib. II.

ces obsecratis ut ipsam laicalem donationem etiam nostræ consensu auctoritatis corroboret. Bene facitis, et quod debetis facitis, dantes honorem Deo et nobis, ne ad commissam nostro pastoratui ovilia rigidis vos cervicibus significatis ingressos, præsertim cum ipsa eadem Ecclesia a majoribus nostris Cenomanensibus episcopis fundata, et monachorum usibus deputata indubitanter credatur. Unde nostris temporibus bene actum lætamur, dum quod mortaliū varietate monachis ereptum fuerat, nunc monachorum religioni restitutum videmus. Vestræ igitur bonæ voluntatis paterno animo suscipientes intuitum, concedimus vobis et universæ posteritati vestræ jam dictam ecclesiam cum omnibus decimis et oblationibus et cæteris ad eam pertinentibus, ea tamen conditione ut canonicis ipsius nostræ matris ecclesiæ, quorum communis assensus nobiscum pariter in hac re concordat, quinque solidos annui census in signum debitæ subjectionis exsolvatis. Qui solidi si ad constitutum terminum, qui est Idibus Decembris, aliqua intercedente occasione redditi aliquando non fuerint, in'tra diem octavum sine causatione recipiantur. Hujus autem concessionis nostræ præsentem scripturam testem relinquimus, ut sit memoriale sempiternum omnibus nostris universisque successoribus, et ut hoc nostræ auctoritatis argumentum inviolabilem obtineat vigorem, sigillo Ecclesiæ nostræ illud fecimus consignari: Quod si aliqua forte persona cujuscunque conditionis, cujuscunque auctoritatis post cognitum hoc nostræ constitutionis præceptum contra illud venire tentaverit, secundo tertiove commonita si non digna satisfactione emendaverit, honoris proprii seu potestatis amissionem incurrat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei ac Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in examine ultimo cum sinistra parte damnationi subjaceat. Defendentibus autem et conservantibus sit pax et portio cum capite nostro Jesu Christo, cui est honor cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sempiterna. Amen, AMHY, [f. AMHN] Amen. Legimus Amen, firmavimus Amen, salvis justitiis et redditibus ecclesiasticis, et duobus solidis synodi, et xviii denariis circatæ.

Signum HILDEBERTI episcopi.	Signum GAUFRIDI decani.
Signum FULCRADI cantoris.	Signum GAUFRIDI archidiaconi.
Signum HUCONIS archidiaconi.	Signum GRADULFI archidiaconi.

Datum Cenomanis per manum Gradulfi cancellarii, xvii Kal. Januarii, anno Incarnationis Domini cæ 1098, Indictione vi, episcopatus domini Hildeberti anno ii.

*Hæc excerpta sunt ex tabulario monasterii Sancti Albini Andegavensis, ex armario prioratus Sancti*

*Audoeni Cenomanensis, et ex eo collatione facta cum apographo deprompta a R. P. D. Roberto Hardy tunc monasterii Sancti Albini e congregatione Sancti Mauri priore, ut potuit ex originali ejus scriptione huic transumpto apposita.*

## II.

*In gratiam Majoris Monasterii, pro Ecclesia de Lupiniaco.*

(Ex Archivo Majoris Monasterii Turonensis, et schedis Baluzianis, an. 1118.)

Notum fieri volumus futuris quibusque, sive presentibus, quod ego Hildebertus, Cenomanorum Dei gratia episcopus ad petitionem confratris nostri domni Willelmi, Majoris Monasterii abbatis, seu cæterorum ejusdem monasterii fratrum, dedi atque concessi ejusdem Majoris Monasterii ecclesiæ monachis ecclesiam de Lupiniaco, cum omnibus ad eam pertinentibus, vel quæ in ea Fulco de Marboeto possederat, et eis, quantum videlicet ad se pertinere videbatur, donare decreverat atque concesserat, salvo utique jure Cenomanensis Ecclesiæ.

Actum in capitulo Sanctæ Mariæ Ebronensis cœnobii, anno ab Incarnatione Domini 1118, præsentem et concedentem Fulcherio archidiacono nostro, nec non et ipso Fulcone de Marboeto, qui ecclesiam ipsam, quam tenuerat, vel potius ejusdem ecclesiæ, beneficia, in manu nostra ibidem reddidit, et eadem Majoris Monasterii monachis dari rogavit, atque concessit. Cujus nostræ concessionis præsentem chartulam, ut firma in perpetuum maneat sigillo proprio, ut cernitur, jussi signare.

## III.

*C Auctoramentum Hildeberti Cenomanensis episcopi de ecclesia Sanctæ Mariæ de Meduana, et donum Roberti Pavonis.*

(Ex Archivo Majoris Monasterii, et schedis Baluzianis, an. 1120.)

Cum multis hujus sæculi voluptatibus diligenti studio curam impendimus, et ea quæ sunt utilia corporeis usibus nobis obnoxie suggerimus, non utilitatis animæ immemores esse debemus. Utilitas quippe animæ est, ubi potestas valet et auctoritas, justis assentire petitionibus, et beneficia pro redemptione animarum, religiosis locis et fratribus Deo servientibus collata, concessionis et auctoramenti munire præsidia. Quapropter ego Hildebertus, Dei gratia Cenomanorum episcopus, cujusdam clerici nostri Roberti, scilicet cognomento Pavonis, petitionem, quia justa erat et animæ utilis, dignam impetratione decrevi. Isle quidem Robertus habebat et possidebat ecclesiam Sanctæ Mariæ parochialem in burgo Castri, Meduanæ sitam, pro qua timens periculum animarum, tam suæ quam sibi succedentium, si post suum decessum ad laicalem revertetur, unde, Deo auxiliante, et justitia exigente, exempta fuerat. Secum igitur aliquandiu volvens quomodo, ut et periculum vitaretur, et Ecclesia illa religiosis locis et fratribus locaretur, tandem decrevit et vovit, ut eam Majori Monasterio B. Martini, et fratribus ibidem Deo servientibus condona-

retur, ut per eorum suffragia orationum, mereretur A suorum adipisci redemptionem peccatorum. Recognoscens autem hujusmodi donum non debere fieri, nisi per concessionem pontificalem et auctoritatem, nostram adiit præsentiam humiliter, comitante sibi Herveo monachorum capellano, assistentibus etiam nobis duabus Ecclesiæ nostræ personis, domno scilicet Pagano decano, de cujus archidiaconatu illa ecclesia erat, et domno Fulcherio archidiacono, petens et multum rogans, ut ecclesiam illam prædictis fratribus et loco concederem et confirmarem, simul et ea quæ habebat in ecclesia de Parriniaco. Tradens igitur ipse eam per quemdam cultellum in manu mea, et dimittens cum cæteris de Parriniaco concedentibus, et auctorizantibus ipso eodem Roberto et prædictis personis F. archid. et P. decano, ego quidem Hildebertus, tum pro reverentia B loci et dilectione fratrum, tum pro salute et utilitate animæ ipsius clerici Roberti et meæ, dedi et concessi eam: Beati Martini Majori Monasterio, et fratribus ejusdem loci, revestiens eos per prædictum cultellum (51), quem in manu domni Fromundi prioris posui, salvo quidem jure nostræ Cenomanensis Ecclesiæ. Quod donum nostri sigilli munitione firmare decrevi, ut ratum in perpetuum servaretur, interdicens sub anathemate, ne alicujus præsumptione vel violentia solveretur.

Acta sunt hæc anno ab incarnatione Domini 1120, indictione xiii, epacta xviii, anno episcopatus domni Hildeberti xxiv, testibus istis: ipso domno Hildeberto episcopo, Pagano decano, Fulcherio archidiacono, Herveo capellano; de monachis: C Fromundo priore, Petro Laidex, Joanne Vivenaji priore, Guillelmo Arbenii priore, Gualterio Compensiensi, Guillelmo Meduanæ priore.

## IV.

(52) *Confirmatio jurium omnium et possessionum monasterii Ebronensis ab Hildeberto Cenomanensi episcopo concessa.*

(Ex archivo monasterii Ebronensis, relata in Historia ejusdem monasterii nuper scripta.)

I. Cenomanorum episcopus, dilecto fratri DANIELI abbati Ebronensi, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

(51) Nota donationem olim authentice fieri per cultelli traditionem.

(52) Plura circa hoc diploma videntur observanda: D Primo, ex illo inferri satis probabiliter potest ad meliorem frugem reversum Daniele abbatem Ebronensem, quem epistola 25, lib. II, adeo sui officii male memorem et stolidum apud Gerardum sedis apostolicæ legatum describit Hildebertus, ut eum *bestiam* nominare non dubitaverit; quod et de monachis Ebronensibus præsumendum videtur, quos adeo depravatos in eadem epistola descripserat, ut *nulla apud eos legum servata custodia, cœnobitæ, inquit, non minus monachum, persequerentur, quam si cum turpitudine fœdera pepigissent.* Hos, dum tales essent, bonus et zelantissimus pastor Hildebertus ab ordine et regula, et a seipsis aberrantes, voce et virga ad gregem, et ad seipsum reducere tentavit; quos postea cura sua reductos, ut amantissimus pater, et amplexus est, et fovit: et hac confirmationis charta, quorum ruinam, etiam in temporali-

Quandiu pastorem gerimus, tuitioni et quieti Ecclesiarum attentius providere non convenit. Eapropter, frater Daniel in Christo charissime, tuis justis petitionibus clementius annuentes, omnia quæ sunt juris monasterii Ebronensis in honorem beatæ Mariæ constructi, cui Deo auctore præses, tibi tuisque successoribus, in perpetuum quiete possidenda concedimus, salvo jure episcopali et matris ecclesiæ Cenomanensis, eorum sustentationi et gubernationi, pro quibus oblata sunt modis omnibus profutura, in quibus hæc nominatim duximus exprimenda: Primum, abbatiam Sanctæ Mariæ cum adjacenti burgo, ecclesiam Sancti Martini in ipsi burgo sitam cum omnibus suis pertinentiis, aliam quoque ecclesiam Sancti Martini, quæ dicitur in Campis, in eodem burgo sitam, ecclesiam Sancti Petri de Torliaco, ecclesiam Sancti Leodegarii de Vavariis, ecclesiam Sancti Petri de Vulteriaco, ecclesiam Sanctæ Susannæ, ecclesiam Sancti Dionysii de Orcis, ecclesiam Sancti Martini de Castris, ecclesiam Sancti Vigoris de Nael, ecclesiam Sancti Martini de Montesacro, ecclesiam Sancti Petri de Chualon, ecclesiam Sancti Venerati, ecclesiam de la Bazogia de Monte Pinsonis, ecclesiam de Campo Aionis, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Bedizio, ecclesiam Sancti Gervasii de Campo Genesoso, ecclesiam Sancti Nicolai de Trantis, capellam de Tilliaco, ecclesiam Sancti Petri de Izziaco, ecclesiam Sancti Martini de Curis, ecclesiam Sancti Sulpitii de Vegia, ecclesiam Sancti Leodegarii, ecclesiam Sancti Sixti de Capella, ecclesiam Sancti Gervasii de Buziaco, ecclesiam Sancti Paduini de Campis, ecclesiam Sancti Martini de Lunago, ecclesiam Sanctæ Gemmæ, ecclesiam Sancti Martini de Annone, ecclesiam Sancti Georgii de Gesoa, ecclesiam Sancti Frontonis de Megeziaco, ecclesiam Sancti Christophori, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Cambiaco, ecclesiam Sancti Petri in eadem villa sitam, ecclesiam Sancti Germani de la Hatevalla, capellam Sancti Andoani, capellam sancti Tudisii, capellam Sancti Gerardi, capellam Sanctæ Mariæ de Barbis, ecclesiam Sancti Cypriani de Bacondria, ecclesiam de Andoliaco, ecclesiam de Intramis, ecclesiam de

bus morum dissolutione partam planxerat, horum bona et possessiones, ut et mores, in melius reformati, tota sua pontificali auctoritate confirmat.

Secundo, hæc etiam charta firmatur nostra conjectura epistolæ 20 lib. II, in notis appositæ, quæ virum ecclesiasticum, quem ibi Hildebertus tam acriter corripit, non alium suspicari sumus, quam Daniele, quem hic expresse nominat, et post emendationem, charissimum in Christo fratrem appellat.

Tertio, quamvis Hildebertus in epistola 21 lib. III, se in Cenomanensi Ecclesia viginti et octo annis sedisse asserat, ni obstat quin dicere potuerit hæc se confirmationis chartam concessisse anno pontificatus sui, anno scilicet ineunte proxime sequenti vigesimum octavum, quo Cenomanis præfuerat; imo inde sequitur annum, quo assererat se ibi præfuisse per viginti et octo annos, esse necessario vigesimum nonum sui pontificatus annum.

Frumentriis, ecclesiam Sancti Symphoriani de Martiniaco, capellam Sancti Nicolai de Cadurcis, ecclesiam Sancti Vigoris de Mangniaco, ecclesiam de duabus Avallis, ecclesiam Sancti Andoeni, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Capella, capellam Sanctæ Mariæ de Lynesio, ecclesiam de Moulau, ecclesiam Sancti Petri de Chama, ecclesiam Sancti Stephani de Thorigniaco, tertiam partem de ecclesia de Nova Villula; in supradictis quoque ecclesiis circades, et de synodis episcopalem partem; in parochia Sancti Georgii de Paschal illam decimæ partem quam Radulphus Rufus dedit Ebronensi cœnobio cum filio suo Giraldo; decimam quoque de Maella quam monachi Ebronenses possident in parochia de Lovernay, et decimam quam habent in parochia de Parendio, et decimam quam habent in parochia de Amencio, et decimam quam habent in parochia de Tannacia, et decimam quam habent in parochia de Courcite, et decimam quam habent in parochia de Parenzis, et decimam quam habent in parochia de Cyncio, et decimam quam habent in parochia Sancti Joannis super Arnam.

Ecclesias itaque prænominate cum omnibus illis pertinentiis quas Ebronenses monachi usque hodie legitime possederunt, Ebronensi cœnobio et fratribus ibi Deo servientibus deinceps quiete et pacifice in perpetuum possidendas decrevimus. Præterea quascunque possessiones, quæcunque prædia fratres Ebronenses legitima possessione, hactenus obtinuerunt, vel in futurum canonica concessione pontificum acquirere poterunt, eodem tenore fratribus prædictis concedimus. Et ut firma et inconcussa permaneant, decernimus. Statuimus quoque ut nulli unquam hominum idem monasterium liceat perturbare, vel temerariis vexationibus fatigare, vel ipsius possessiones ejusdem minuere, vel abbas retinere. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona contra hanc nostram institutionem temere contraire voluerit, secundo tertiove communita tandiu canonice ultioni subiaceat, et a sacratissimo corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, donec de penetrata iniquitate digne satisfaciatur. Cunctis eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi. Amen. Et ut hæc nostra confirmatio firmior et certior habeatur sigillo nostro muniri fecimus.

Actum est hoc Cenomanis anno ab Incarnatione 1125, pontificatus nostri anno xxix, regnante Ludovico rege Francorum.

## V.

*Pro Monasterio sancti Vincentii Cenomanensis.*

(E Chartulario abbatie S. Vincentii Cenomanensis.)

H. (53) Turonensis humilis minister, venerabilis

(53) Hildebertus.

(54) Guidoni, qui Hildeberto in episcopatu Cenomanensi immediate successit.

(55) Benedictionem cum salute impertit Guidoni, utpote metropolitanus suffraganeo suo.

(56) Hanc igitur chartam concessit post an. 1125, quo ad Turonicam sedem est translatus.

et dilecto Fratri G. (54) Dei gratia Cenomanensi episcopo, totiusque Ecclesie ipsius capitulo, salutem et benedictionem (55).

In memoria habemus quod Herbertus Framgerii, dum Cenomanensi præessemus Ecclesie (56), aliquando a nobis excommunicatus fuerit pro primitiis et pro tertiaria quæ presbyteris pertinet, quæ capiebat in ecclesiis de Piaccio (Piacé) et de Juilliac (Juillé) quæ juris monasterii Sancti Vincentii sunt. Porro infirmitate coactus prædicta ecclesie Beati Vincentii reddidit, scilicet primitias illas et tertiariam illam, et insuper duas partes decimationis utriusque parochie monachis præfatæ donavit ecclesie, exceptis iis quæ ab eodem monachis Majoris Monasterii collata esse dignoscuntur. Nos itaque et redditionem illam, et domum decimarum, quod fecit Hildebertus Beato Vincentio, memoriter recordamur, nosque eadem diligenter fratribus illis concessisse memoriter tenemus. Valet.

## VI.

*Pro monasterio S. Vincentii Cenomanensis.*

(E Chartulario abbatie S. Vincentii Cenoman.)

200<sup>o</sup> Dei gratia Turonorum archiepiscopus, G. (57), venerabili Cenomanorum episcopo, et toti capitulo Beati Juliani, salutem et benedictionem.

A memoria vestra non credimus excidisse, quod Josbertus archidiaconus quasdam vineas ecclesie Beati Vincentii, et monachis ibidem Deo servientibus moriens donavit ac dimisit. Porro frater ipsius Drogo post mortem ejus vineas ipsas prædictæ ecclesie abstulit. Nos vero ipsum et monachos ante nos convocavimus, et utriusque partis rationibus diligenter auditis, monachis Sancti Vincentii vineas illas adjudicavimus. Et quia Drogo quod a nobis judicatum fuerat exsequi noluit, eum cum omni familia sua a liminibus sanctæ Dei Ecclesie separavimus. Hæredes vero sui, prout accepimus, in eadem rapina perseverant. Unde dilectionem vestram rogamus, et rogando monemus, ut jam dictæ ecclesie et prædictis fratribus super hac re plenam et firmam justitiam faciatis. Valet.

+

## VII.

*Donum Hildeberti Cenomanensis episcopi de ecclesia S. Georgii de Nemore (58).*

Nemo qui nesciat loca divino cultui dedicata pro inhabitantium conversatione vel crescere in melius, vel a sua decidere dignitate. Unde et nos quorundam clericorum studio singularem vitam professorum ecclesiam S. Georgii de Silva, quæ a Monte Aureo duobus distans milibus a suo statu deciderat, in pristinam sperantes reformari dignitatem et consilium præbuimus et auxilium, nec in aliquo eis

(57) Eidem Guidoni, suo in Ecclesia Cenomanensi successor, proindeque post an. 1125.

(58) Invenimus hoc diploma inter instrumenta ad calcem Historiæ Majoris Monasterii prope Turones; manuscriptæ, tom. II, p. 64. (Biblioth. urbis Turonicæ.)

defuimus, donec ipsi penitus sibi desse cœperunt. **A**  
Rigor autem propositi eo usque decidit, ut et eorum  
prælatus, Matthæus nomine, nomen abbatis gerens,  
sacram contereret professionem, et egressus in re-  
gionem dissimilitudines et locum relinqueret et vo-  
tum. Quia ergo de restauratione præfati loci sub  
hoc ordine, atque sub his personis omnis nobis spes  
ablata est, prænominatam ecclesiam, quantum ad  
nos pertinet, Majori Monasterio concedendam et  
abbati Willelmo per nostræ manus chartulam tra-  
dimus, orantes atque deprecantes, ut monasticum  
ordinem, qui in ea dudum celebris fuerat, ibi re-  
formare satagat et nitatur. Hoc autem donum ego  
Hildebertus episcopus feci eis et scripsi, Pagano  
archidiacono atque Fulcrado cantore assensum præ-  
sentibus.

†  
VIII.

*Litteræ Hildeberti Cenomanensis episcopi de ecclesiis  
de Meduana et de Saccio.*

(Anno 1120.)

[*Histor. Maj. Mon. prope Turon., ms., t. II, p. 182.*]

Justis petitionibus assensum debere divini mu-  
neris est inspiratio et sanctæ auctoritatis et omnium  
pie sentientium veneranda omnibus approbatio.  
Quod ego Hildebertus Cenomanensis matris Ecclesiæ  
indignus episcopus considerans, petitioni Jubelli de  
Meduana assensum decrevi non negandum. Convo-  
catus ergo ab eodem Jubello, consultus etiam et  
rogatus et ab ejus matre et sorore, sed et castri  
baronibus exoratus, ut capellam suam de eodem  
castro cum omnibus appenditiis ejus et capellam de **C**  
Saccio similiter cum ei pertinentibus Majori Mona-  
sterio et Monachis S. Martini concederem et firma-  
rem, ego cum personis Ecclesiæ nostræ quibus id  
pertinere videbatur, decrevimus tam justis petiti-  
onibus assensum. Damus igitur et concedimus præ-  
fato monasterio ecclesias supradictas cum omnibus  
ad eas pertinentibus, salvo jure matris nostræ Ce-  
nomanensis Ecclesiæ, assentientibus et confirman-  
tibus, ut supra dictum est, quibus ex nostra parte  
id pertinere videbatur, et ut hæc aliquis perversus  
aut impostor in futurum destruere vel etiam infir-  
mare (quod absit!) si conetur, non prævaleat au-  
thoritate nostra et sigillo præsentem chartulam de-  
crevimus monendam, vinculo anathematis inno-  
dantes, quisquis hoc præsumperit, donec se con- **D**  
grue emendationi subiciat.

Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini 1120,  
indict. XIII, epacta XVIII, anno episcopatus domni  
Hildeberti XXIV.

† S. Hildeberti episcopi. † S. Pagani decani. † S.  
Fulcherii archidiaconi. † S. Gervasii Paganelli ar-  
chidiaconi. † S. Guidonis præcentoris. † S. Guarnerii  
de Meduana. † S. Gradulfi archidiaconi.

†

IX.

*In quibus casibus tantum impignorari possint orna-  
menta Ecclesiæ.*

(Ex Chartulario insignis ecclesiæ Cenomanensis  
quod dicitur *Liber Albus capituli*, num. CCXVIII.)

Qui conservandarum Ecclesiæ rerum quæ pretia  
sunt peccatorum et patrimonia pauperum sollicita-  
dinem suscipit et negligit, canonico judicio gradus  
sui periculum incurrit. Hujus rei consideratione per-  
motus, ego, Hildebertus, Cenomanorum humilis  
provisor, ad removendam suspectæ petitionibus quo-  
rumlibet importunitatem, universos qui ornamenta,  
tam aurea quam argentea, sive serica, ad honorem  
Dei et decorem domus ejus, largitate fidelium Ce-  
nomanensi ecclesiæ collata sive conferenda, ab  
eadem ecclesia, impignorationis causa, asportave-  
rint, vel ulla alia occasione, nisi necessitate capi-  
tuli et operis ecclesiæ compellente, vel pro pascen-  
dis famelicis pauperibus, tempore famis ingruente,  
alienare sive remove tentaverint, sub anathema-  
tis vinculo pontificali auctoritate constrinxi, et a  
comunione sanctæ Dei Ecclesiæ sequestravi.

†

X.

*Instrumentum de concordia facta inter Cenomanenses  
canonicos Sancti Juliani et monachos Sancti Vin-  
centii.*

(Circa 1100.)

[*MARTENE Ampl. Collect., I, 579, ex chartario S.  
Vincentii Canoman.*]

Sicut totius Ecclesiæ status pacifico charitatis vin-  
culo solidatur, ita nihilominus sanctæ societatis  
unitas pestifero dissensionis scandalo dissipatur.  
Quicumque igitur ad æternæ pacis visionem cupiunt  
pervenire necesse est ut omni vigilantia cum homi-  
nibus, si fieri potest, et maxime cum fratribus pa-  
cem studeant custodire. Quapropter nos sanctæ  
Cenomanensis Ecclesiæ canonici pacem et concor-  
diam diligentes, et de medio nostri malum discordiæ  
penitus abjicere cupientes, de quadam calumnia  
atque discordia quam adversum monachos S. Vin-  
centii longo tempore habuimus, talem finem atque  
concordiam ab eis, mediante charitate, recipimus,  
ut decimam de Monte Rainaldi, quam post multum  
tempus super calumniam nostram tenuerant, nec  
non et sepulturam, et cæteros redditus qui ad eccle-  
siam pertinere videntur, nobis pacifice et quiete  
absque ullo retinaculo dimitterent, atque ibidem  
ecclesiam secundum beneplacitum nostrum nobis  
facere, atque perpetuo possidere concederent, vi-  
neas etiam Rainaldi cantoris, quæ aliquo tempore  
super calumniam nostram tenuerant, dimiserunt,  
et obsequium xxx dierum pro singulis defunctis  
canonicis nostris se facturos promiserunt; et cæ-  
meterium quod antecessores nostri contra morem  
canonicum cum laicis habuerant [*i. habebant*] ex  
altera parte monasterii sui in competentiori loco et  
honestiori, juxta videlicet monachorum cæmete-

rium transtulerunt. Hoc itaque pacto stabilem cum eis fraternitatis amicitiam firmavimus, et cætera quæ inter nos et ipsos discordiæ causa extiterant, id est venditiones domorum, quæ in vinea de fonte S. Domnoli sunt, et vi denarios de censu cujusdam domus quæ est in ruha Harald, et forisfactum de coliberto nostræ Ecclesiæ, Frogerio scilicet Beloto, quem super nostrum interdictum monachum fecerant, omnino eis remisimus, et quidquid Cenomanensis Ecclesiæ episcopi eorum loco contulerant, eis simpliciter et absque dolo concessimus. Si quid de cætero eidem loco conferre voluerint, gratis et absque ulla datione pecuniæ, salva Ecclesiæ nostræ fidelitate, nos concessuros esse spondimus. Promisimus quoque illis pro defuncto illorum abbate unum trigesimalem et pro singulis defunctis monachis vii missas et vii vigilias nos esse fracturos, eisque in suis negotiis ut amicis et fratribus consilium et auxilium nostrum, pro ut res tempusque permiserit, fideliter exhibituros. Ut autem hæc pacis charitatisque concordia in perpetuum stabilis permaneat, hunc chirographum firmavimus in die festivitatis beatissimi Juliani de transitu, præsentis et annuente domno Ildeberto episcopo.

Sig. domni Ildeberti episcopi. S. Gaufridi decani. S. Fulcradi præcentoris. S. Gaufridi Muloti archidiaconi. S. Paganii archidiaconi. S. Gradulfi archidiaconi. S. Orrici. S. Haimerici. S. Ingelbaudi. S. Hilgoti. S. Ernaldi. S. Wilelmi secretarii. S. Gosberti filii cantoris. S. Gervasii. S. Orrici. S. Radulfi episcopi. S. Wilelmi de Marciaco. S. Wilelmi de Belismo. S. Guidonis de Stampis. S. Raginaldi Rusi magistri. S. Ingelerii. Fulcoii filii Gaudrici. S. Warnerii de Meduana. S. Wilelmi fratris sui. S. Godofridi filii Angerii. S. Unfredi capellani. S. Guidonis nepotis Ernaldi. S. Ingelbaudi filii Mariæ. S. Hulnaldi. S. Frogerii. S. Theobaudi de Lavarzio. S. Salomonis. S. Roberti de Orta. S. Fulcherii Vindocinensis. S. Cautridi Gandelberti. S. Gaufridi Ermenerii. S. Hamelini de Asinariis. S. Wilelmi vitrarii. S. Girardi abbatis S. Albini (59), S. Odonis abbatis S. Petri (60), S. Radulfi abbatis Longiledi (61), S. Radulfi abbatis S. Mariæ Ebrontis,

†  
XI.

*Diploma Hildeberti Cenomanensis episcopi, pro Cenomanensi S. Victoris monasterio. Confirmatio monachis concessas a laicis ecclesias.*

(Anno 1106.)

[MARTENE *ibid.* ex eod. chart.]

Quantis quibusve studiis monasteriorum quietem tueri habeat religiosorum devotio pontificum, veneranda nobis Patrum sanctorum tradidit antiquitas. Eorum exemplis indignus ego Cenomanensis Ecclesiæ sacerdos Ildebertus, et provocatus et accensus, fratribus qui in monasterio Sancti Vincentii Domino Deo deserviunt, adversas quorundam improbitates

(59) Andegavensis.

(60) Cenomanensis, vulgo de Cultura.

A tranquillitatem decrevi providendam. Ne qua igitur impudenter calumniantium molestia in præfatum quidquam molatur monasterium, quarundam ecclesiarum beneficia, quæ ei fideles contulerant laici in perpetuum possidenda, et concedimus et in præsentis pagina firmamus. His tamen quæ episcopum et archidiaconum seu etiam archipresbyterum contingunt ex integro retentis, videlicet synodis, circadis, et si qua alia in forisfactis, aut in cæteris redditibus, sive etiam in tuitione presbyterorum ad præfatas videntur pertinere personas. Quæ vero illæ sint ecclesiæ subsequens habet inscriptio. Ecclesiæ de Tuffi, ecclesiæ de Campaniaco, ecclesiæ de Ver, ecclesiæ de Avenis, ecclesiæ de Curte-lucro, ecclesiæ de Segona, ecclesiæ de Luertione, ecclesiæ de Basilgeris, ecclesiæ de Accio, capella S. Audoeni de Baladone, ecclesiæ S. Leonardi, ecclesiæ de Curia-doda, ecclesiæ de Monasteriolo, ecclesiæ de Curtis-monte, ecclesiæ de Ham.

Facta est autem hujus assertio concessionis anno ab Incarnatione Domini 1106. episcopatus vero prædicti episcopi, indict. xiv, Philippo rege, Helia comite. Quod quisquis violare præsumperit, anathemati subjectus maledictionem Dei incurrat.

†

XII.

*Charta Hildeberti episcopi Cenomanensis pro Majori Monasterio.*

(Anno 1113.)

[BALUZ. *Miscell.* tom. III, edit. Mansi in-fol., p. 63.]

In nomine sanctæ et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti.

Ego Hildebertus Dei grati Cenomanensium episcopus notum fieri volo omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, utriusque ordinis videlicet ac dignitatis, quoniam propter amorem et familiaritatem quibus Cenomanensis et Beati Martini Majoris Monasterii ecclesiæ dilectionis vinculo ad invicem jungebatur, didi et concessi ipsi beato Martino et fratribus ejus in majori monasterio Christo in perpetuum servientibus ecclesiam quæ vulgo Vilerx Caroli Magni ab ipsius loci incolis appellatur, cum omnibus ipsi ecclesiæ pertinentibus, salvo jure Cenomanensis Ecclesiæ, præsentis et concedente Fulcherio archidiacono cum aliis duobus Ecclesiæ nostræ canonicis, scilicet Gervasio Paganello atque Pagano. Sed et omnia quæcunque jam eis principum largitio, sive fidelium devotio, ibidem contulit seu etiam in crastinum poterunt adipisci, ut eis firma et illibata permaneant, per præsentem hujus nostri privilegii paginam episcopali auctoritate statuimus et ne cujusquam in futuro male invida præsumptione violetur, proprii sigilli munimine in perpetuum confirmamus.

Actum anno ab Incarnatione Domini 1114, apud Majus Monasterium in claustro ante cameram W... venerabilis abbatis, ipso præsentis cura Wilhelmo priore quondam Redonensi archidiacono, Petro

(61) Vulgo de Lonlalo, Gallice *Lonlai*.

quoque bajulo, et Gervasio nepote meo, atque Rainaldo de Castro Gunterii tunc Majoris Monasterii notario.

†  
XIII.

*Confirmatio Hildeberti Cenomanensis episcopi de ecclesia de Torciaco, vulgo Torcé.*

[BALUZ. *ibid.*]

Ego HILDEBERTUS Cenomanorum episcopus omnibus sanctæ Ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam presentibus, notum fieri volo quod monachi Majoris

Monasterii nostram presentiam adierunt petentes ut donum ecclesiæ de Torciaco, quam quorundam fidelium devotio nostris temporibus eorum loco contulerat, concederem et litterarum nostrarum auctoritate firmarem. Quorum petitionem cum qua decuit benignitate suscepim, eisque ipsam ecclesiam futuris temporibus possidendam concessim, et ut ipse ascensus noster atque concessio inviolabilis permaneret, presentibus litteris et sigilli pontificalis impressione eam roborari præcepi.

Data Cenomanis civitate 11 Kal. Octobris.

Ad notas cl. viri D. Loyauté in suprema Parlamenti curia doctissimi patroni, in decem et octo epistolas, antiqui scilicet ordinis, V. Hildeberti Cenomanensis episcopi, deinde Turonensis archiepiscopi.

### BREVE MONITUM

Cum nulli labori parcere decreverimus quominus pro facultate nostra epistolis Hildeberti quælibet lux accederet, non mediocre illis e doctissimis D. Loyauté observationibus in ejus epistolas eventuram speravimus. Has quippe e benevolentia Cl. D. Loge, celebris in suprema Parisiensi curia patroni feliciter nacti, incompositas licet, et multis ubique raris propemodum oblitæ (quamvis tardius et diu post absolutam nostram harum epistolarum impressionem nobis concessas), sed eruditas ad nitorem quo ab auctore, naris emunctæ viro, donatæ fuissent, si vixisset, restituere quantum potuimus ad ejus mentem conati sumus, ne ad reipublicæ litterariæ dispendium in tenebris jacerent, et infeliciter omnino deperirent. Nec ultra quidem decimam octavam epistolam illæ notæ productæ luce clarius demonstrant, quantum ex auctoris ipsius doctrina et eruditione lectores profectum eruisent, si omnes, prout decreverat, per vitam diuturniorem illi datum fuisset illustrare. Hæc tamen notarum paucitas ab illis evulgandis nos non deterruit, cum, ut aiebat antiquus scriptor, *Etiam Analecta deorum venerationi sint*; nec nobis pudori futurum speremus, si versatissimi in antiquis rebus Auctoris notæ nostras quantulascumque sint, obfuscare videantur. His igitur, benigne Lector, fruire, et nostros conatus æqui bonique consule.

AD PRIMAM EPISTOLAM. — *Willelmo de Campellis.*

*Tandem philosophari decreveris. Bene agendi formulam expressisti. Hoc Seneca philosophorum elegantissimus pene ad verbum expressit. Ex acquisita philosophorum sententia, morum tibi minime depromens vetustatem.* Oportet enim τὸν βίον τοῦ φιλοσόφου τῷ λογῷ σύμφωνον εἶναι· ὁ γὰρ λόγος τοῦ φιλοσόφου νόμος ἀθραύετος καὶ ἴδιος ἐστίν, ait philosophorum elegantissimus Plat. De contr. Stoic. Et e veteribus, religiosus, pro casto atque observantissimo et sese cohibenti certis legibus finibusque. Valerius, 1, cap. 9. Seneca, ipse sibi ait formula.

*Ecclesiasticis dignitatibus omissis... institoriam abdicat lectionem.* Sirmodus ad Ep. 11, lib. II. Goffridi Vindocin. interpretatur hunc (62) locum. Eadem metaphora utitur Ulgerius ep. Andeg. apud Joannem Salisberiensem, lib. II Metalog., cap. 20. Nam, ut ait Ulgerius... venalitia disciplinarum gratiosum ad invicem debet esse verbi commercium, nam in philosophantium foro exsulerat comitas, et verba distraherentur ad gratiam.

*Si tamen exoneratus incesseris.* Perstringit Guillelmum plenius et planius Abælardus in historia calamitatum suarum: \* Præceptor meus ille Guillelmus Parisiensis archidiaconus habitu pristino com-

mutato ad regularium clericorum ordinem se convertit, ea, ut ferebatur, intentione, ut quo religiosior videretur ad majorem prælationis gradum promoveretur. Id ei in proximo contigit, eo Catalaunensi episcopo tacto. »

*Ut Christianus doctor abhorreas.* Magister dicebatur. Abælardus passim scilicet magister noster Guillelmus. Auctor anonymus apud Duchesnium in notis ad Abælardum, Magister Guillelmus de Campellis. (Neque tamen erat adhuc universitas, neque doctoratus.) *Fert autem fama id tibi persuasum a quibusdam ut ab omni lectione penitus abstineas.* Nec tamen hic suæ conversionis habitus aut ab urbe Parisiaca, aut a consueto philosophiæ studio eum evocavit, sed in ipso quoque monasterio, ad quod se religionis causa contulerat, statim more solito publicas exercuit scholas, ut ait Abælardus in Commentariis suarum calamitatum. Hac forte Hildeberti epistola persuasus, cæpto operi institit Willelmus.

*Nihil a vilibus topis gemmæ differunt.* Glossæ veteres πῶρος ὁ λιθὸς τοῖος, τοῖον, αὐτὸς-ὡδὲς τοῖον. Glossæ mss. *Tofus lapis caulonatus, mollis et mobilis*, V. Salmasium ad historiam Augustam. Virg. Juven. Videndus Scholiastes,

(62) Ad verbum *Naviculariam benedictionem*, id est mercenariam, ait institoriam lectionem, dixit

Hildebertus ep. 1, cui sordibus et illiberalis quæstus est propositus ut lucrum institori.